

2. At verò quid ipsis est ordinarium Spiritus sancti lumen, dictamen, testimonium, inspiratio; persuasio? Chamierus Panstrat. Catholic. Tom. 1. lib. 1. cap. 19. §. 8. Ordinariam inspirationem asserit debere à *Scripturâ peti*, eamque postea §. 13. esse scribit *diligentem collationem locorum*. Nec aliud videtur statuere Polanus Syntagm. Theolog. lib. 1. cap. 45. quæst. 4. quando ex eò, quòd *Bellarminus fateatur librò tertio de Verbò Dei cap. 3. sect. 11. Scripturam debere exponi secundum dictamen Spiritus sancti; colligit, quòd secundum Scripturas, non autem secundum privatum dictamen Spiritus extra Scripturas exponi debeat*. Atque cum his duobus, etiam convenire mihi videntur illi, qui Scripturarum Interpretationem tribuunt *Spiritui S. in Scripturâ loquenti, vel Scripturæ, quæ vox est Spiritus sancti*; quales cap. 10. quàm plures recensuimus. Hoc autem per suum ordinarium Spiritus lumen, aut dictamen si denotatum velint, patet, illos relabi ad jam refutatam quæstionem, ab eâque nihil diversum proponere; ita ut satis fuisset, Scripturam sui ipsius interpretem statuuisse. Verùm enim verò aliud quid, & quidem illustrationem quandam intellectus, operationemque Spiritus sancti, quâ de verò genuinòque S. Literarum sensu persuadentur intimè fideles, intelligere videntur. Chamierus enim Panstrat. Catholic. Tom. 1. lib. 16. cap. 1. contra Bellarminum aliosque disputans de *Spiritu, quò intelligendæ sint Scripturæ*, statuit illum non esse *cujusque homunculi impetum, qui se ingerens ad legendas interpretandasque Scripturas, ipse sub sibi marte sensum pro arbitriò fingit, quem affingat libris sacris: Sed efficaciam illam particularem cuique fidelium, quæ est à Spiritu sanctò, quæque efficit ut Scripturam intelligat, hoc est, sensum assequatur verum genuinumque*. Et Scarpus Curs. Theolog. loc. de Sacrà Scripturâ, controvers. 8. contra Pontificios argum. 2. *perceptionem veri sensus fieri asserit per illuminationem Spiritus sancti, quam (argument. 1.) internum illud testimonium videtur nominare, quò Scriptura divinæ autoritatis esse cognoscitur*. Quod idem etiam confirmant ea, quæ habet Chamier. Panstrat. Catholic. Tom. 1. lib. 6. cap. 1. §. 5 & 7. Ubi, Pontificiorum calumniam amoliri volens, qui *internam Spiritus sancti persuasionem, Scripturæ autoritatem cordibus insculpentem certòque persuadentem, nihil aliud esse quàm privatum superbiæ Spiritum, omnibus hodie hæreticis communem clamant; multa que de particularibus, & extraordinariis revelationibus, atque ἐξερσιασμοῖς garrunt*; respondet, Reformatos *nihil hîc somniare extra ordinem: sed id ipsum agnoscere, quod in reliquis articulis fidei omnibus: nimirum, omnino opus esse internâ Spiritus sancti persuasionem, ut libris sacris plenâ fide assentiamur*. In quem sensum etiam Calvinus Institution. Relig. Christian. lib. 1. cap. 7. §. 4. *Altiùs, ait, quàm ab humanis vel rationibus, vel judiciis, vel conjecturis petenda est hæc persuasio, nempe ab arcanò testi-*  
*moniò*